





DE  
IVSTITIA POENARVM CAPITALIVM,  
QVAE IN SAXONIA OBTINENT

PROLVSIO

QVA  
AD AVDIENDAM

# ORATIONEM

AVSPICANDAE

PROFESSIONIS IVRIS SAXONICI  
EXTRAORDINARIAE CAVSA

DIE XXXI. IVLII A. R. S. MDCCCLXXXV

H. L. Q. C.

PVBICE A SE HABENDAM

PEROFFCIOSE INVITAT

D. CHRISTOPHORVS CAROLVS STÜBEL  
FACULTATIS IVRID. VITEMBERG. ASSESSOR EXTRAORD.

VITEMBERGAE  
LITERIS TZSCHIEDRICHIL

DE  
IUSTITIA PONENDRVM CAPITALLVM  
QVAE IN SAXONIA ORTINTUR

*Expositio iustitiae ponendae capitallae quae in Saxoniam ortintur.*

AD

AD ABDIN DVM  
O R A T I O N E M

VASPIGNANVS

PROCESSIOIS IARS SAXONICIS  
LITERGODINARIE CAVSA

DIE XXXX JULII A.D. MDCCLXXXV

AD

LITERGODINARIE CAVSA

EXPOSITIO

D. CHRISTOPHORI CAROLI STABERI

*Expositio iustitiae ponendae capitallae quae in Saxoniam ortintur.*

EXPOSITIO

LITERGODINARIE CAVSA



Bonos non satis amat princeps, qui malos non satis odit.

PLIN. Paneg. c. 53.

§. I.

*Instituti ratio.*

Recentiori aetate, qua primum de legibus poenalibus philosophari accuratius coeperunt iureconsulti, maximeque ius, properandi delinquentium fata ausi sunt in dubium vocare, quantopere doctissimorum virorum ingenia exercita, quamque grauia certamina orta sint, non facile fore arbitror, quem latere possit. Nam primum quidem, cum SCHWARZENBERGII, acutissimi viri, suaque aetate prope summi, auctoritate poenae capitales in Germaniae praecipue regnis aditum sibi patefecissent, paucissimi fuerunt, quibus quadam de hac re suspicio oriaretur, aut publice eam proferre auderent. Postea alii libere et aperte dicentes, quae peccore premerent, propalam ultimorum suppliciorum iustitiam impugnarunt quidem, sed attentione non satis digni habitu sunt, nec auditu. Italo tandem, viro celeberrimo illi similia docenti iis, quae a nostris erant frustra iam prolata, contigisse videimus, ut, quas proposuerat, philosophicae de delictis et poenis questiones a plurimis audirentur, et ad ipsa adeo legislatorum pene-

A

trarent

trarent folia. Cuius eloquentia et si vi sua plurimos ad se conuertet raperetque, tantum tamen absuit, vt omnes omnino philosophi, iureconsulti et legislatores doctrinam Beccarianam fidissimam existimantes magistrorum sequerentur, vt potius obstupeferent haud pauci, in unum locum concurrerent, omnineque eius philosophiam damnarent et detestarentur. Ita in duas abierunt partes; alii enim illius principia amplexi ius, morte puniendi, principibus plane denegarunt; alii vero, multis compositis libris, omnem nauarunt operam, vt eius usum ab illorum ausibus defenderent, atque nouis firmarent argumentis.

Quae singula et si animus non est copiosus commemorare, ne saepius dicta praeter necessitatem recoquere videar, tamen, vt, quid falsum verumque insit, dispicere postea valeamus, praecipuas iuuat, affirmandi negandique exponere rationes. Primum enim qui a BECCARIAE partibus recte stare arbitrantur: quo iure, quaerunt, a summo in republica magistratu ius vitae et necis exercatur, quod pacto subiecctionis nullo modo potuerit transferri? Ciues enim, perguat, cum in ciuitates coaliuerint, minimam tantum libertatis particulam saluti publicae immolasse, illoque adeo summo iure minime cessisse, neque, si voluissent, cedere fas fuisse, quod nemini competere ius in vitam suam posset. Huic argumentandi rationi alii, qui contrarias partes sequuntur, respondent, nos in ineunda ciuitate neutiquam minima tantum libertatis particula, sed ea destitui, qua referuata suis communis haud obtineri possit, totaque societas dissoluatur necesse sit. Facultatem vero morte plectandi iure illo naturali aduersus iniuste aggredientem summa vi et ad illius internectionem adeo sese defendendi


dendi contineri volunt, quod in ciuitate ei, qui summa fungatur potestate, traditum nomine singulorum administretur. Concedunt igitur, neminem de vita disponere posse, hoc vero negant, in pacto subiectio-  
nis ut fieret, opus fuisse. Caeterum, quod ad usum poenarum capi-  
talium attinet, nonnulli cas nec utiles, nec necessarias in ciuitate esse,  
perpetuum carcere securitati stabilienda quoque sufficere, hocque  
mitius remedium illi praferendum esse, contendunt. Contra vero  
alii, mutata vice, de utilitate et necessitate ultimi supplicii ita sibi  
persuaserunt, ut exinde maxime illius iustitiam demonstrari posse, exi-  
stimarent. Rationes qui scire cupit, libros hac de re conscriptos  
adeat tam frequentes, ut metuam, ne vel ipsis eorum nominibus  
enumerandis letores desatigentur.<sup>a)</sup> Quid vero mihi de utilitate  
atque necessitate ultimorum suppliciorum videatur, infra explicandi  
locus erit opportunior. Sed quinam fuere illarum controveneriarum,  
atque disputationum effectus? nonnullos ex me querere audio. Hi  
vero maximi profecto, atque saluberrimi praedicandi sunt! Tota enim  
iuriisprudentia criminalis nouam eamque meliorem induit formam.  
Beccariana philosophia admoniti serius quidem et rectius de iure puniendi in uniuersum cogitare, atque ciuium potissimum sanguini par-  
cere incepérunt, minime vero omnes poenas capitales constitutas ex

## A 2

ciui-

a) Conf. I. E. SCHALL von den Ver-  
brechen und Strafen. Eine Nachlese  
und Berichtigung zu dem Buche des  
Markes Beccaria eben dieses Inhalts.  
Nebst einem Anhange über einige neue-

re deutsche Schriften von dieser Mate-  
rie, in so fern sie sich auf das Buch  
des Markes beziehen. Leipzig 1779.  
Alios multos sciens praetereo.



civitatis proscriptas esse, plurimi censuerunt. Ab eo nimis  
inde tempore, quidam praecepsum esset legum munus, recte intel-  
ligentes, curiae habebant primum, maximeque elaborabant, ut for-  
niarent potius ciuium animos, et excolendo redderent meliores, nee  
tam punirentur mali ac e medio tollerentur, quam decesserint, qui  
mali esse vellent. Memores igitur facti illorum SENECAE verborum  
grauissimorum: non minus principi turpia esse multa supplicia, quam me-  
dico multa funera,<sup>b)</sup> poenas mortis arctioribus saltem circumscrivebant  
limitibus. Quod cum experientia probatum haberent, in eo aequi-  
sciebant, ita, ut, viis Beccarianis philosophis, inter viros doctos  
pax quoque restituta videretur.

Sed nolite mirari, lectores, cur, cum pacem colere maxime  
conducat, lis de iure criminum reos capitalibus suppliciis adficien-  
di iamdudum composita menti potissimum obuersata fuerit, eamque  
ego denuo intendere, atque aduersarios nos amplius non turbantes,  
atque tranquillos ad nouum certamen prouocare voluerim. Etenim  
jam noui surrexerunt aduersarii, qui acris nobis instant, quam prior-  
es, armisque pugnant prorsus decretoriis; recentiores puta philoso-  
phos criticos. Nonnulli eorum, nouis iisque grauioribus vii argu-  
mentis, ius, mortis poenam a dlinquentibus repetendi, principibus  
plane abnegarunt. Audiamus eos ipsos ita philosophantes:

„Ius mortis suppicio aliquem maclandi, ciuitati aut tan-  
quam personae morali in se spectatae competere, aut in pacto de-

<sup>b)</sup> de clementia lib. II. cap. XXIV.

■ ■ ■

num subiectionis a singulis concedi, est ponendum. Vtrumque vero puris rationis principiis aduersatur. Nam quod ad primum attinet, ciuitatis iura partim notione, partim personalitate eius morali, quam dicunt, definienda atque aestimanda sunt. Personalitas autem ei tribui debet, quatenus voluntas rationalis, qua gaudet, in ipsa consideratur. Ex hac vero iisdem tantum, quibus persona physica, fru-  
tur iuribus, neque alia in se spectata habere potest. Iam vero extra ciuitatem nulli poenae locum reliquit humana ratio, multoque minus facultas, laudentem poena mortis adisciendi, laeso concedenda est.  
Quod verum si est ac probatum, personalitati ciuitatis proxime descri-  
ptae plane refragantur supplicia vltima, nec eorum infligendorum ius ex illius natura repeti vnuquam potest. At vero singulos homines in  
statu naturae viventes iure puniendi in vniuersum delitiosos esse, ex  
notione poenarum et limitibus, quibus continetur ius cogens, ostendit potest. Hoc enim laeso erga laudentem competens duobus tantum modis exerceri potest, quod laeso vi licet cogere laudentem, vt aut ab iniuria inferenda desistat, aut nisi hoc fieri potuerit, sed vere in-  
iuria illata fuerit, damnum illatum resarciat. Poenarum autem ratio  
neque facultate, defendendi sese aduersus iniuriam inferentem, neque  
iure cogendi, vt hic damnum datum restituat, contineri potest. Hacc enim ea est vis, quae propterea laudenti infertur, ne hic iniuriam illatam repeatat, et alii quoque similem contrahant culpam. Poena-  
rum igitur irrogatione nec delictum, quippe iam commissum, impe-  
ditur, nec damnum laeso illatum reparatur, quod nil poenis restitui-  
tur. Metuit laetus, pergit illi, ne laedens posthac simile quid com-  
mittat, aut alii, sibi quoque id licere, quod hic fecit, putent, huius-

simi

A 3

que



que imitentur exemplum, atque hanc voluntatem modo praesuntam irrogatione poenae ab iniuriis futuris planeque incertis auocare studet; id quod iniustissimum est. Etenim cum ius cogens, quo poenam simul pertinere, perperam nonnulli sibi persuaserunt, non nisi contra vim certain et praesentem, fas sit exercere, eius usus huius tantum magnitudine dimetiendus est. Huius modi vero causam hic non dari, facile apparet. Licit enim sexcenties ab aliquo violatus fueris, et laedens, malis moribus prauissimisque cupiditatibus adsecus, maiorem adhuc metum iniecerit, et disertis adeo verbis, se ab iniuriis inferendis haud destitutum, declarauerit, ita, ut vix, ac ne vix quidem consilium esse mutaturum illum, sperandum sit, ei tamen, nisi te re vera inuaserit, ullam vim adferre, ratio prohibet. Sola enim laedendi voluntate iura nostra perfecta non turbantur, sed ea tantum exequenda. Huc accedit, quod eo adhuc momento, quo quis se ad iniuriam inferendam accingit, fieri potest, ut ad meliorem frugem redeat, et, mutato consilio, a facto abstineat, unde incerta semper manet voluntatis perfectio. Nihil igitur reliquum est, nisi, ut alia via expedienda salutis remedium quaeras, et fuga te tuearis, aut tuto iniuriam excipias praesidio. (Nae dura philosophia!) Quae cum ita sint, nec detur ex rationibus allatis in statu naturae ius puniendi, eoque ciuitas in se considerata pariter deslittatur, alias fons aperiendus, eiusque origo ex pacto subiectionis repetenda est, quo subditi hanc in se suscepere obligationem, ut male facta omittent, atque, si aliquando deliquerint, poenam exempli causa subire vellent. At enim vero ita ius quidem puniendi, minime vero ius, criminum reos ad acheronta mittendi, in ciuitate probari potest. Constat enim, iure

= = = = =

sure in vitam nostram nos nunquam cedere posse, eiusque alienationem esse illicitam. Vnde sequitur, priuationem vitae in poenarum malis numerari non posse, ad quae perpetienda ciues in pacto subiectionis sese obstrinxisse existimantur, ut taceamus, reum, cum finis poenarum, quo a simili culpa deterreatur, in mortis supplicio plane exsulet, non nisi tanquam medium, ad se defendendum contra aliorum malefacta tractari, atque ex hac quoque causa de iniuria accepta posse conqueri. Licet igitur omnia alia iura, quae alienari possunt, in ciuitate poenarum irrogationi sint obnoxia, de vita tamen nullo modo hoc asseri potest. Caeterum non negatur, defensionis violentiam in ciuitate pariter ac extra eam, si mitiora remedia non sufficient, ita extendere licere, ut singuli ciues, tanquam reipublicae hostes, e medio tollantur, vbi tamen talis hominis violenta mors non poena, sed ultima securitatis obtainendae ratio habenda est.“

Sed haec sufficient. Iam fatis superque enim philosophati sunt illi viri doctissimi. Ipsi sermonem recipiamus, rem nostram saluam fore, bono adhuc animo sperantes. Equidem verba audiui multa, argumenta vero, quae me vincerent, nulla. Vereor enim, ne controversia ex una parte in item super verbis inanibus mutetur; ex altera autem parte omnia, quae disserunt, veris niti principiis, quin crederem, a me impetrare non potui. Aut magnopere fallor, aut praecepta philosophiae criticae failis poenarum notionibus, quas etiam nunc cordatores cultioresque improbarunt et reiecerunt iureconsulti, accommodant, legesque criminales cum politiae praeceptis confundunt, ut omittamus antiquiores philosophos, quorum plurimi ipsas

artis





artis politicae regulas cum iure communiscuerunt. Inde non potuit fieri, quin totam rem infinitis impedient difficultatibus, atque in diversissimas abirent partes. Nos cautius agamus, remque nostram a primis ordinamur principiis, quibus non accurate expositis tota causa titubet necesse est atque vacillet. Iuuat igitur, primo veram poenae enucleare notionem, originem deinde iuris puniendi inuestigare et denique certain, ex qua poenarum vis atque grauitas aequaliter, constituere normam. Quibus praemissis facile erit ad dijudicandum, vtrum delinquentium fata properare liceat, et quatenus poenae capitales, quae in Saxonia obtinent, iustae sint et salutares. Atque his praefidiis instructa haec mea tractatio faxit Deus, ut feliciter prodeat et haud plane inutilis in hominum doctorum aequorumque conspectum!

### §. II.

#### *De notione poenarum.*

Ac primum quidem viros doctissimos in diversissimas abire de notione poenarum constituenta sententias, quilibet scit, qui vel leuiter, quid in iurisprudentia criminali hucusque sit elaboratum, compertum habuerit. En rem haud parui, sed maximi profecto momenti ad securitatem omniumque felicitatem, in qua dissentire periculosissimum est! Faciamus periculum, an has difficultates superare possimus, viamque omnino tutam ingredi liceat. Cardo autem rei in eo vertitur, vt quanam re contineantur poenae, cognoscamus, ac in uniuersum finem, quem sequantur, constituamus. In quo quidem necesse erit principem quandam a secundariis distinguere, illiusque discriminem, cum vel

vel proximus, vel remotus esse possit, diligentius animaduertere. Age  
igitur, explicationem ipsam aggrediamur.

Leges in ciuitate promulgatae sunt normae, fini reipublicae com-  
muni conuenienter agendi, eiusque obtinendi rationem complectuntur. Eae  
autem pro diuersitate rerum, quarum cura in ciuitate habetur, et au-  
xiliorum, quibus optime defungi illa credimus, diuersi generis repe-  
riuntur. Inter haec auxilia referenda primum est diligens excolendo-  
rum animorum cura, qua, ut omnes sponte sua finem ciuitatis pro-  
mouant, minimeque impediant, primum efficere studemus, praenam  
porro, tanquam nouae ciuilis virtutis illecebrae, aliaque instituta mul-  
ta, quibus in usum vocatis, aut plane fieri nequit, ut, licet quis ve-  
lit, mali quid committat, aut salem maxima inueniat delinquendi  
impedimenta. Quae vero cum vel corporis viribus ad crimen com-  
mittendum paratis resistant, vel ipsam perficiendi delicti voluntatem  
deterre possint, duplices generis reperiuntur; illa *physica*, *metaphy-  
sica* haec siue *moralia* appellaueris.

Iam eo peruenimus, quo spectabat demonstratio. Leges ni-  
mirum, in quibus metaphysica siue moralia, quae diximus, auxilia  
praescribuntur, cum poenales, ipsaque illa auxilia in iure poenae appel-  
lentur; quisnam sit finis cum proximus, tum remotus, facile intel-  
ligi potest. Nam cum poenas numerassemus inter rationes, quibus  
finis rerum publicarum obtineri possit, remotissimum illarum finem  
cum societatis ciuilis sine, apparet, eundem esse debere, qui in omni-  
um perfectorum iurium securitate inter alia recte positus censetur.  
Cuius vero procurandae slabiliendaque cum multiplex quidem ac-

B varia



varia cogitari ratio possit, primarium autem ac summum praesidium in eo positum necessario sit, ut iam ipsa voluntas a prauis consiliis perficiendis auocetur et deterreatur, poenarumque irrogatione efficiatur hoc vnicē, proximum earum finem in auocando a consiliis prauis prosequendis voluntate ponamus necesse est, quo sublato ipsis nullus locus relinquatur, nisi temere et iniuste agere velimus. Iam vero quaeritur, qua ratione vel ipsa iniuriae facienda voluntas ab ea auerti queat? Ad quod ut respondere possumus de ipsa materia, qua poenae constant, ac vi inde proflueniente agendum videtur. Omnibus autem innatum est hominibus, vt bene sibi cupiant, et, quidquid suscipiant, commoda vel vera, vel opinata adipisci studeant. Quis enim est, qui sciens id agat, vnde damnum accipiat? Licit igitur quisquam mali quid molliatur, tantum abest, vt eo sibi nocere, vt saluti potius ac utilitati suae consulere velit. Neque ulla homo ad delinquendum se abripi patietur, nisi commoda inde speranda animo suo obuersata fuerint tanta, vt molestias cum eo coniunctas superare viderentur. Vnde sequitur, talia meditanti optimam adhiberi medicinam, si persuadeatur, incommoda ex delicio proficiscentia commodis opinatis fore maiora. Neque tamen in eo ubique acquiesceré possutius. Etenim non semper verae utilitatis spe, sed inani interdum eupiditate ad delicta perpetranda rapimur. Illa igitur voluntatis pravae reuocandae corrigendaeque ratio latius extendenda, omninoque curandum erit, vt omnia hominis scelerati nefaria consilia irrita ac vana reddantur, idque certo carentur esse, compertum ipse habeat.<sup>a)</sup> Quare poena ita debet esse

com-

a) Hanc poenarum vim elegan-  
tissime et rectissime exposuit I. C. G.  
SCHAVMANN in den kritischen Abhand-

lungen zur philosophischen Rechtslehr,  
Halle 1795. Abb. 12.

comparata; ut mala secum ferat, viisque scelera meditanti inficerat, quae consilia in vniuersum inuertantur. Hic igitur habes genuinam omnia poenae notionem. *Poena quidem nihil aliud est, nisi vis, quae eo consilio delictum committere volenti infertur, ut ipse hanc voluntatem mutet.* Ea enim ad futura, nunquam vero ad præterita delicta referenda est, nec quis puniri potest, quia peccauit, sed ne peccet in posterum, ac a prauo, quod iam prodidit, consilio iterum alio tempore perficiendo deterreatur. Quod vero malum consilium quoniam non facile alio significatur modo, nisi malefactis, ex quibus, quid animus gestiat, maxime apparet, poenae delicta iam commissa utique sequi solent. Verbis enim disertis rarius minae iactantur, quod nulla inde commoda profiscuntur, nec cupiditatibus praus indulgetur, quibus ad ipsa malefacta compelli possimus. Ex quo sit, ut legislatores iis præcipue poenas commententur, qui delicta iam perpetrauerunt, easque saepius a iis infligi videamus, qui praus factis, quam verbis tantum alioue modo malum prodiderunt animum.

Iam præmissis iis, quae naturam poenæ constituant, progressamur nunc ad fines eius secundarios, quorum quo plures causa principali coniungere atque simul aequi possumus, eo magis videtur illa probanda esse. In quo quidem magna cautione opus est, ne de via recta decedamus, neque iustos transgrediamur limites, id quod a plurimi factum videtur.

*Finaliter autem in vniuersum est idea, in qua ratio et norma actionis liberae ponitur. Dicitur autem in principalem et secundarium, quatenus vel ipsa rei naturali, vel certa quadam conditione.*

quae et adesse et abesse potest, nimirum. Ille enim, ut de actionibus tantum  
 loquamur, harum suscipiendarum unica ratio est ac summa causa, hic  
 vero non nisi illo iam proposito locum habere potest. Quae si ad poe-  
 nas transuieris, finis poenae principalis rationem eius statueret pariter,  
 ac normam eius definienda atque aestimandae constituit, necesse  
 est, ita, ut illo adminto ipsa iusta declarari nequeat, fines vero secunda-  
 rios catenus modo in determinanda et infligenda poena spectari posse,  
 intelligitur, quatenus a fine principi probari videantur. Ex quo se-  
 quitur, poenarum naturam finibus secundariis minime immutari, at  
 que adeo neque grauiores, neque mitiores in usum vocari posse, quam  
 finis earum principalis postulet ac requirat. Hae sunt regulae, qui-  
 bus, tanquam amissi, in finibus poenarum secundariis diiudicandis  
 uti debemus. Ita cum sine poenarum primario deterritio aliorum, qui  
 animum sceleratum nondum prodiderint, tanquam finis minus prin-  
 cipalis coniungit potest, ut rei exemplo admoniti ad criminis coiuncti-  
 tanda et ipsi sint tardiores, sibiique eo certius persuadeant, poenam,  
 quam leges minentur, malefactorum vestigia premere, suoque haud  
 deslitui effectu. Quod eo magis necessarium videtur, quo facilius  
 prava scelerorum exempla suos inueniunt imitatores suoque nocent  
 contactu. Cum vero hic in secundarii modo numeretur, ea quidem  
 poenae infligendas ratio locum habere videtur, qua reliqui deterreri,  
 et ipso conspectu a criminibus retocari queant, neque vero hanc ob-  
 causam ipsius magnitudo augeri aut minui potest. Illud vero, ut hoc  
 tantum utr ex exemplo, publica poenarum executione nonnullisque sol-  
 lennitatis ei adiunctis optime fieri solet, si cura adhibita fuerit, ne  
 quod vulgo fieri, exempla semper, nuperimque ostenderunt, misere-  
 ricordia

ricordia magis ac lamentatio, quam iusta animorum indignatio, nefarii sceleris abominatio summaque ad homines corrigendos a sceleribusque reuocandos efficax affectio animorum oriatur. Absit igitur ab executione poenarum, praecipue capitalium, omnis pompa. Cur criminiis capitalis reum sacerdotes scholarumque magistri ad locum supplicii ducere debeant, omnesque personae iudiciales, quasi in locum, ubi praemia summorum de republica meritorum eum maneat, comitentur, legitimam non video causam. Vehementer enim inter se pugnare videtur, pro hominis sceleratissimi discessu e vita eos fundere cantus sacros, quibus memoriam ciuium optimorum beneque de nobis meritorum celebrare solemus, eosque priusquam carnifici tradantur, imo iam in excoriatoris manibus versantes, honore quodam, aliisque adficere beneficis, quos ad ultimum supplicium damnauiimus, indignos habuiimus, qui inter nos amplius cominorarentur. — In his aliisque actibus similibus causa potissimum quaerenda est, cur publicae poenarum executiones hominum animos ita non moueant, ut alias sperari possit. Sed haec obiter, plura alio tempore.

Multum vero absuit, ut hi deterritionis aliorum limites hucusque cognoscerentur atque observarentur, ut plurimi, ipsique recentissimi philosophi eum ad finem pruarium referre, eoque poenarum gravitatem dimetiri, non dubitarent.<sup>b)</sup> Quo simul factum est, ut

A 3

non-

b) vid. OVIATOR, *Grundätze des deutschen peinlichen Rechts*, §. 71 et 74. p. 19. SERVIN, *de la législation criminelle*, L. I. ch. 1. §. 1-6. MELCHIOR, *System der Gesetzgebung, Auspach 1784.* L. 3. p. 518. et L. 4. P. 6. p. 12. GMELIN, *Grundzüge der*



nonnulorum philosophorum de iure puniendi praecepta nos non tangunt, minimeque cum vera poenae indole conuenirent.


Vtunque vero sit, video ad ea, quae dixi, multos philosophos atque iureconsultos longo agmine contra me egredientes. „Nova moliris, occlamant, atque periculosa! Nonne tibi notum est vetus illud dictum: *mala exempla bonos corrumpere mores?* Ergone tibi isti homines turpisissimi probantur, qui non modo ipsi vitia concipiunt, sed ea quoque infundunt in ciuitatem, neque solum dum ipsi corruptos se ac sceleratos gerant ciues, sed aliis quoque ad delicta sua trahendis perniciosissime de republica merentur? Scisne, quod vetus quidam ait philosophus: *peccare et peccato fauere perinde esse?* Quid tandem? reicis hac tua philosophia poenas capitales, quae sane ad emendationem rei haud tendunt, sed exempli tantum causa ex cogitata esse videntur, cum is, cui ens caput amputatur, minime melior reddi soleat.“

At salua est res, et intrepidum pectus, modo me causam vberius expositurum placide audiatis. Primum enim attendamus necesse est ad discrimen, quod intercedit inter poenam, quatenus in lege constituta est, et quatenus ea reuera alicui infligitur: siue interminas poenarum in se spectatas et ipsam punitionem. De illis hic quaestio esse nequit. Leges enim poenales propterea poenas committuntur,

*der Gesetzgebung über Verbrechen und Strafen, §. 15.* PÜTTMANN, Elem. iur. crim. §. 60. GLOBIG, *Abhandlung von der Criminalgesetzgebung,*

p. 51. HVFELAND, *Lehrsätze des Naturrechts, 1795.* §. 177. SODEN, *Geist der peinlichen Gesetzgebung Teutschlands, §. 36.* et plures.

nauntur, ut omnes omnino ciues, ad quos earum cognitio peruenit,  
 a delictis auocentur. Poena igitur in lege ita definienda est, ut eius  
 metu, quantum fieri possit, omnes commoueantur, atque a perficiendo  
 nefario consilio deterreantur, licet, cum nunquam accidere possit,  
 ut poena talis eligatur, quae in omnibus ac singulis vim ostendere  
 possit, in ea sit acquiescendum, quae ad plurimos saltem a patrandis  
 sceleribus deterrendos idonea videatur. Quod si igitur sub poenie  
 ipsas legum poenarium minas intelligamus, haud inficiamur, in iis  
 simul spectandum esse, ut omnes ciues deterreantur. Si in poenarum  
 executionem in medium proferamus, indagemusque, quisnam eius  
 finis esse possit principalis, res magnis impedita est difficultatibus.  
 Huius sinem primarium omnes fere philosophi ac iureconsulti non  
 solum in eo ponunt, ut is, qui seculis conceperit, animumque delicti  
 perpetrandi declarauerit, ab eo perficiendo abstineat, sed ut reliqui  
 a simili culpa contrahenda, quam exstirram esse nondum constat,  
 metu similis poenae deterreantur, atque adeo, licet nec a reo propter  
 deficientem nefariam animi indolem (imputationis vnicam causam)  
 mali quid rei publicae metuendum, aut minimum certe, nec poena  
 infligenda communis securitatis causa, nisi leuissima sit; tamen alio-  
 rum deterrendorum causa grauioribus, quam ipse meruisse, poenis  
 adstringatur, atque ita suo damno ferre aliorum futuram ac incertam  
 nequitiam videatur. Infelix omnino eandem sortem fortiri mihi visus  
 est cum canibus, qui apud Romanos viui arboribus adfixi supplicia  
 annua tulisse leguntur, quod canes olim Capitolium negligentius cu-  
 stodiuerant, ac silentio, ni anser clanxisset, prodidissent. Sed ne  
 hoc temere scripsisse videar, ipsas rationes enucleemus, cur eiusmodi  
 specta-



spectacula edere haud licet. Evidem primo metum, ne scelerati exemplo suo tantopere noceant, inanem esse, crediderim, deinde vero, et si probatum fuerit, ciuitatem in tale periculum incurtere, tamen, hoc haud imputari posse, sed casu tantum obuenire, contendem. Illud enim quod attinet, certissimum quidem est, mollissime suaderi exemplis, atque multos in imitando adeo seruum esse pecus, ut, si quid ab aliis fieri videant, id sibi quoque licere putent, in ciuitate tamen bene constituta, ubi leges poenales cum ipsarum fine conspirantes adfunt, atque prompte et accurate in causis criminalibus adhibentur, contrarium locum habet.

Fac enim, unum et alterum poena lege sancta haud communum ad delictum quoddam perpetrandum esse abripi passum esse, atque necessarium fieri, ut ipsam poenam perpetiatur, atque experientia sensibus que suis a criminibus abhorre discat, quod sola comminatione poenae effici non poterat; nonne haec poenae exsecutio ad ceterorum notitiaq[ue] venire aequa potest, ac delictum commissum? Cogitatio enim mali, quod poenae inest, ubi semel criminis reum conflectari cum illo videmus, omnium animos non minus subire solet, quam delicti commissi illecebrae per hanc occasionem in memoriam vocari possunt, ut taceam, delicta aliis celari, poenas vero in omnium conspectu infligi solere, ideoque nos citius et melius de his, quam de illis fieri posse certiores. Denique poenae certae et praesentis gravitate ac periculis sensum animosque omnium intelligitur magis adisci posse, quam commodi incerti ex delictis sperandi opinata voluptate. Multum igitur abest, ut alii delicto commisso ad similia facta allicantur, ut certius et magis ab his

auto-

auocentur, quam si alicuius delicto poenam statutam exequendi sensusque omnium feriendi, nulla data fuerit occasio. Neque igitur opus est, ut poena hanc ob causam adaugeatur, quod ea iam sufficit, quam maleficis ipso iam facto suo promeruit. Itaque malum levissimum, quod aliorum deterendorum causa adiiceretur, superfluum, ideoque iniustum esset. At vero obiciat quis, eti hoc detur, si poena a maleficio vero sumatur, tamen, cum quis nullo dolo, nec culpa sua illiciti facti auctor fuit, nec poenae locus est, quippe quod nullam omnino ostendat malitiam, atque nil ab eo metuendum sit, si factum impune tulerit, exemplo suo reliquos ad crimina incitare posset. Nec sic quidem opus est poena, cum non nisi demonstrata ac probata iudici innocentia vila impunitatis spes reis sit relicta, ideoque illos crimen non impune tulisse, sed causa iusta optimo iure sletisse ac liberatos esse, omnes intelligant.

Sed hoc quidem iam mittamus. Esi enim concedamus, alios adeo alicuius exemplo ad crimen committendum re vera aut iam inductos esse, aut ciuitati adhuc imminere periculum, ne quidam malefactorum rei vestigia premant; cum tamen culpa saltem carere, ostendam. Eae enim actiones earumque si tantum effectus cuidam tribui ac imputari possunt, quos ipse aut omnino, aut aliqua tantum ratione effecit, liberum sui ipsius fecutus arbitrium. Quae si ad delicta referamus, libera alicuius voluntate videmus aut proxime concipi crimen, vt si quis furtum committit, vel sciens volensque hominem interficit, aut non ipsum delictum proponi animo, sed ex alio consilio et actione quadam praecedente profluere. Qua ratione inter *dolam*

C

et



et *culpam* diuidere solent, et utramque vicinam imputationis causam continere existimant. Contra si quis rei plane ignarus crimen committat, aut vi cogatur, ita, ut nullum omnino laedendae legis consilium, nec liberum in crimine committendo arbitrium appareat, *casu* dicimus illum delicti auctorem, absque omni imputatione et poena immunem esse censemus. Causa in promptu est, quod, cum nil, nisi ut, qui criminis committendi consilium ceperit, eamque factis dictis ve voluntatem monstrauerit, retineatur ac deterreatur, poenis efficiere possumus, cessante ratione poenae, simul et ipsum euaneat ius puniendi. ej)

Quod si igitur, ut nobis quidem videtur, ostenderimus, non nisi *mero casu* prout exempli imitandi causam illum esse atque auctorem, poenas exempli causa innocentibus immerto inficias locum habere non posse, nec innocentium sanguine ab incerto periculo civitatis salutem defendere licere, effectum fore putamus. Iam primum quidem delictorum, ad quae alieno exemplo rapi se alii patiuntur, ne vlla quidem causa in illius voluntate intenienda est, nec in iis committendis, qui prius, sed qui eius exemplo seductus delicta perpetravit, egisse putandus est, quod hic, nec ille ad peccandum animum appulit, nec in eiusdem adeo voluntate criminis causam proximam vlo modo, vident omnes, contineri posse. Neque vero magis remotam saltem caussam illi inesse dixeris, quod qui aliorum libero

ej) Pluribus has imputationis rationes explicauit in libro meo, cui inscribitur: *System des allgemeinen peinlichen Rechtes mit Anwendung auf*

die in Churfachsen geltenden Gesetze zweyer Band, Leipzig 1795. Abth. 2. §. 236-301.

bero prorsus arbitrio reguntur, euentus in nostras actiones nullo modo conferri possunt. Denique si vel persuadendo impellendoue quis efficerit, vt ad crimen quoddam committendum alius incitetur, non quod hic commisit delictum proxime, sed sola persuadendi vis adhibita imputanda videtur, quod hoc ipso prauum ostendit ac ciuitati periculosisimum consilium. Cuius vero si quis insinulari nequeat, nulla vnuquam culpa facti in eum cadit, quod qui istius factum sponte imitati crimen commiserunt, libere peccarunt, nec poena ab illo sumta a simili noxa cauere sibi didicerunt.

At dixerit fortasse quispiam, illum praeuidere posse, alios suo exemplo ad similem culpam contrahendam se abipi esse passuros, seqve aliis delicti occasionem daturum. Hoc concedamus, salva re nostra, nam etsi praeuidendum erat, fieri posse, vt alii exemplo corrumpantur; vel probabile adeo videri poterat; tamen, quod contrarium non minus probabile est, nulla reperitur obligatio actionem hanc vel illam omittendi. Neque talis actio malo euentu vitia-ri potest. Quis enim est, qui virum doctissimum atque celeberrimum quendam homicidii accusare conetur, qui nominis splendore ac copiosissimae eruditio-nes fama ita incenderit iuuenis animum, vt flagrans cupiditate illum aemulandi totum se assiduitati tradat et industriae, viribus vero non suppedantibus immodico studio ac improbo labore consumtus laudabili succumbat aemulationi, et praematura morte rebus humanis eripiatur? Et si quid video, par est ratio in maleficio, cuius vitia in alios transfilierant, ac velut ipso nocuerant tactu. Quae cum ita sint, merus hic quoque inuenitur casus, in

quo quaelibet poena superuacanea atque iniusta est, et licet hoc maxime e republica sit, et ipsius securitas poenis exemplaribus egregie stabiliatur, nefas tamen est, et semper manebit, ciuem cogere, ut damno suo certo aliorum futura eaque maxime incerta luat crima, quod primario repugnaret iuris praecepto, quod vetat, ut homine ut re ad quodvis efficiendum.<sup>d)</sup>

Alter finis secundarius, quem in poenis irrogandis spectare reipublicae maxime interest, in emendatione animorum morali cernitur, in quo proponendo atque explicando iureconsulti non minus quam in priori statuendo, lapsi esse videntur. Ante omnia enim ab hac *moralis politicae* fiae *civilem* emendationem distinguamus necesse est. Et hanc quidem, quam in eo ponendam, existimo, ut conueniant actiones externae cum legibus ciuilibus, nulla animi, vnde fluixerint, ratione habita, ad finem poenarum principem referendam esse, censeo. Sed de illa hoc loco sermo est, quae postulat, ut ipsae cogitationes sensusque animi cum praeceptis ipsis moralibus omni ex parte amice conspirare videantur. Atque ne haec quidem, tanquam finis minus principalis, in poenis desinendi negligenda est, id quod non facile quisquam in dubium vocabit. Quoinodo vero, dicat ali-

quis,

d) *Conf. Versuch einer Aukitzung zur Sittenlehre für alle Menschen, ohne Unterschied der Religionen nebst einem Anhange von den Todesstrafen*, Berlin 1783. P. 4. p. 298. *Das peinliche Halsrecht der Teneriffaner*, Osnabrück 1783. *CAESAR, Denkwürdigkeiten aus der philosophischen Welt*, Leipzig 1787. P. 4. p. 103 lqq. *PÜTTMANN, Pro-*

*Iusion de poenis exemplaribus*, Lipl. 1787. Opusc. iur. cr. p. 255. *SCHAUMANN, Ideen zu einer Kriminalpsychologie*, Halle 1792. p. 70. et *KLEINSCHROD, Systematische Entwicklung der Grundbegriffe und Grundzabrebeiten des peinlichen Rechts nach der Natur der Sache und der positiven Gesetzgebung*, Erlangen 1794. Th. 2. §. 49.

quis, poenarum vi fieri potest, ut cogitationes ipsique animi sensus excolantur, atque efformentur? Licet vero poenis quidem in se consideratis haud facile effici posse videtur, nomine tamen cum iis eiusmodi coniungere valemus instituta, quibus maleficiis de se suaque salute suisque officiis accurate cogitandi, atque adeo ad meliorem frugem redeundi detur occasio? Neque tamen inficior, hanc animorum emendationem paucissimis poenis promoueri tantum atque curari posse, cum multae eiusmodi institutis ne locum quidem relinquant. Quam saepe praeterea opera et oleum perdatur, nihil attinet dicere. Sed hoc non impedit, quominus hae quoque poenae, quae ad hunc finem consequendum non aptae sint, iustae habeantur et maneat, quod cessante secundario tantum earum fine, minime ipsae reprobari debant. Ita vero alii non sentiunt. Plurimi enim hunc finem cum principali illo confundunt, ipsamque poenaram violentiam ad emendationem animorum facere debere existimant, ideoque poenas hunc effectum non habentes e fore proscribendas esse censem. <sup>e)</sup> Quo sit, ut multi de ergastulis inepte iudicent, eaque pessima habeant instituta, quoniam sentina atque colluviis hominum pessimorum ibi reperiatur, qui turpissima quaeviis meditentur, quorumque consuetudine meliores corrumpantur, atque adeo delinquentes iis mancipati haud facile ad meliorem redeant furgem. Sed quicquid sit, tam finis modo secundarius exsulet, nihil obstat, quominus locum inuenire possint ergastula. Docti enim illi viri, proh dolor! in animum sibi non

C 3

reuocas

e) Vid. WIELAND, Geist der peinl. Geférze, Th. I. Abchn. 4. STELZER, Lehrbuch des deutschen Criminalrechts §. 160. KLEINSCHROD l. c. Cap. 4. et ISELIN, Considerations sur les loix et les Tribunaux, p. 14.



reuocare videntur, poenarum vi nemini meliora principia inculcari posse, neque, si hoc fieri possit, actiones internas ita potestati ciuili esse subiectas, vt vi eas dirigere, civesque singulos ad emendationem animorum compellere liceat.

Iam in enucleanda poenarum ratione acquiescerem, nisi suspicarer, non defuturos esse, qui multos adhuc earum fines desiderent. Quos si omnes enumerare atque refutare vellem, verendum eset, ne tempus prius et charta, quam scribendi materia, desiceret. Illis vero plane neglegitis ne causa mea videatur periclitari, aut altera ex parte vanis aliorum opinionibus afferendis perdatur tempus, duos saltem, quos recenti adhuc aetate spectandos esse volunt viri doctissimi, poenarum fines paucis exponere verbis, operae pretium esse videtur.

Cum reipublicae securitas non modo promoveatur, si mali eo rediguntur, ut in posterum delinquere nolint, sed certius adhuc stabiliatur, si iis physica nocendi facultas admittatur, atque instituta, quibus libertas hominum periculosorum eo consilio idoneis circumdetur cancellis, poenis similia reperiantur, nonnulli illa cum his miscentes poenarum finem in admenda physica, criminis committendi facultatem ponendum esse, perperam sibi persuaserunt. Eiusmodi vero iustitia a poenis toto coelo differunt. Etenim fieri quidem haud raro solet, vt qui, legum minis, ipsaque poenarum irrogatione haud commoti, nihilominus in peruersitate sua perseverauerint, aeternis vinculis teneantur; sed hoc delictorum remedium pariter ad institu-

f) Vid. KLEINSCHROD, I. c. §. 45 et 46.

instituta politiae pertinet, ac moenia, aedificia, aliaque muniimenta, quibus bona nostra ab aliorum ausibus defendere studemus. Etenim in eo finis poenarum essentialis, puta deterritionem, plane cessat. Qui vero in resarciendo damno a malescico dato poenarum sine in consilii autumant, sis multo minus adstipulari possum.<sup>g)</sup> Poena enim ad securitatem publicam totius ciuitatis spectat, et ad cauenda futura delicta valet. Compensatio vero damni illati mera causa priuata est, in eius arbitrio posita, qui illud accepit. Quare ea in foro ciuili proprie tractanda est, nec, nisi poenae occasione data, extra ordinem ob coniunctionem causarum in iudicio criminali simul deciditur.

Sed haec hacenus. Plures eiusmodi fines poenarum spuriros, qui nosce cupiat, LEYSERI,<sup>h)</sup> MICHAELIS,<sup>i)</sup> et GMELINI<sup>k)</sup> aeadat euoluatque libros.

### S. III.

#### *Quo iure nitatur ciuilis puniendi potestas.*

Poenam si ita definitur, iustisque circumscriperis litimibus multa, quae iuri puniendi obiciuntur argumenta, collabefactata euancescunt. Philosophi enim recentiores non minus, quam veteres ius puniendi ciuili imperio asserturi in duas abierunt partes. Alii nimirum, ut supra diximus, ex natura ciuitatis illud repetunt, eique tanquam personae

g) GLOBIG, l. c. p. 50. nec non die zweyre Zugabe p. 65:

h) Spec. 649. med. 1.

i) Mosisches Recht, Tb. 6. in prae-  
fatione.

k) l. c. §. 14 et 15.



sonae morali in se spectatae competere contendunt;<sup>1)</sup> alii autem; qui singulis hominibus extra ciuitatem viuentibus ius castigandi haud tribunt, ad paetum subiectionis in ciuitatibus condendis suppositum confugunt, quo ciues se obstrinxerint, vt; si quando in delictum iuciderint, poenis se submittere velint.<sup>m)</sup> Quae quidem controversia cum maximi sit momenti tum ad yniuersam iuris criminalis scientiam, tum in primis ad vltimorum suppliciorum iustitiam dijudicandam, ne hæc ipsa firmo desitutatur fundamento; ante omnia compo-nenda videtur. Evidentia animum inducere non potui, vt transire in partes eorum, qui connatum ius puniendi negant, idoque eius originem ex paetis fundamentalibus ciuitatis diruandum esse arbitrantur. Et quamquam viri acutissimi atque celeberrimi hac in mea sententia explicanda occupati fuere, atque inter hos SCHAVMANNVS, praecipuus iuris naturæ interpres, de ea elegantur atque accurate nuperime differuit,<sup>n)</sup> res tamen nondum plane exhausta omnibusque partibus absoluta videtur. Liceat igitur meum qualemque hic addere iudicium. Periculum, age, faciamus, an alia via tuta infistere, eaque, quibus res adhuc impedita est, dubia, remouere atque tollere valeamus.

Laesio


1) Conf. FILANGIERI, I. c. P. 4. p. 42. SCHMALZ, *reines Naturrecht*, §. 80. SCHAVMANN, *wissenschaftliches Naturrecht* §. 270. et *Annalen der Philosophie und des philosophischen Geistes*, 6 St. 1795. et IACOB, *philosophische Rechtslehre* §. 493 sqq.

m) Conf. HOFBAVER, *Naturrecht* §. 205. HERMANN, disp. de fundamento puniendi, Praefide ERHARDO, HEYDENREICH, *System des Naturrechts*, p. 189 sqq. PASTORET, des lois penales et alii. n) loc. cit.

Laesio iuris perfecti turbatione continetur. Iura autem perfecta habent hoc, ne homo alio contra huius voluntatem ad fines suos persequendos pro arbitrio vtatur, atque omnia ad *tus hominis, in personam suam, affectus suas, et usum rerum* reducuntur. In enucleando autem iure puniendo *hominis ius in actiones suas* accuratius expoundendum est, vi cuius facultate gaudemus, omnibus viribus, quae nobis insunt, in fasciendis et omittendis actionibus pro arbitrio videnti. Qui igitur alium earum virium usu prohibet, ius eius laedit perfectum. Hacc vero agendi libertas duplice ratione minui violari que potest. Injusta enim vi efficitur, ut aut virium nostrarum usu *simpliciter* desiliuamur, quod impedimentum physicum nullo modo superandum obiicitur, aut *is certo tantum modo* restringatur. Et hoc quidem fieri solet, si quis alicui animum ei bonum quoddam auferendi declarat, seque minas iactatas perfecturum, quam ab hac voluntate recessorum esse, probabilius reddatur. Etenim ex tali expectatione oritur metus, qui necessitatem nobis iniungit, ea comparandi, quae ad repellendos illius conatus idonea videntur, omnesque actiones in viuierum ita insituendi, ut periculum imminentis, quantum fieri possit, propulsentur. Quo simul sit, ut non solum in arcessendis securitatis praesidiis iuribus quibusdam cedamus, iisque periculi auerten- di causa renuntemus, sed tota quoque agendi libertas iniuste coer- ceatur, quid? quod homines metu futuri mali percussi, praecepse si spes, illud effugiendi, desiliuti fuerint, plerunque ita omnino tur- bentur, ut ad omnia sua negotia reddantur inhabiles atque inertes. Itaque quemuis comminante*m actionum libertatem violare eorum,*

D

quos



quos suis inequatur iniuris, nisque, quod nullo modo licet, ut solo  
viti medio, res profecto est clarissima.

Iam vero nefarium aliquem laedendi consilium factis aequae  
ac verbis prodi indicarique potest. Illud autem, quavis iurium no-  
strorum perfectorum turbatione iam suscepta, fieri videtur. Nam  
non solum ipsa iniuria inferenda laedi nos, appareat, verum etiam  
metus futurae similis iniuriae nos perturbet necesse est. Rationem  
enim, quae illum commouit ad iniuriam inferendam laesus aut com-  
pertain habet, aut ignorat. In vitroque casu varia obstant impedi-  
menta, quo minus illa laedendi causa, quae semper in maleficio quaer-  
enda est, remouetur. Laesum enim, quem fugiat, eam tollere  
non posse, per se patet. Cui vero si innoverit, aut facultas physi-  
ca, aut ius, aut obligatio, eam extinguendi, deest, cum laedentis  
cupiditas atque desiderium tanquam iniustum plerumque improban-  
dum sit, eique sine noua iniuria vel laesi, vel aliorum satisficeri ne-  
queat. Iam vero illa iniuriae acceptae ratio donec superstes sit, ne-  
que laedens ipse, se ad sanam mentem rediisse, probabiliter declara-  
verit, semper metuendum est, ne is, qui nobis semel iniuriam intu-  
lit, eandem repeatat. Quam ob rem cum quavis laesione et praesen-  
tis securitatis sensu priuemur, nec de futura vlo modo tranquilli esse  
tutique possimus, (quoniam, qui laesit, prava, quam ostendit, voluntate,  
similem ab ipso timendam tacite minatus est iniuriam) duobus  
iuribus perfectis ab ipso laesis, duplarem appetit inferri iniuriam quo-  
vis modo propellendam. Unde duplex quoque oritur iusta defensio-  
nis ratio. Omnis autem iustae defensionis natura in hoc cernitur,

ut, si iura perfecta adfuerint, vi aduersus iniustos aliorum auctoribus uti possimus. Quae vero quanta et quo tempore sit ablibenda, definire difficultimum est, multumque in eo iam defudauerunt virorum acutissimorum ingenia. Evidem in duobus, qui omnibus placuerunt philosophis, acquiescam defensionis modis. Ac hac quidem defensione utimur, ut aut ipsam iniuriam propellamus, et, si copta iam fit, quo minus perficiatur, efficiamus, aut illata vere atque consummata reparetur. Altera violentae defensionis ratio ad rem nostram spectat, eique idcirco uberior exponendae paullulum immorabitur. Ex quavis laesione ius quoque nasci in compensationem damni illati, iam omnes cognitum perspectumque habent, cum illa tamdiu continuetur, quandiu eius duret effectus. Qua vero ratione damnum acceptum reparari debeat, de eo adhuc sub iudice lis est. Quavis iniuria duplē diximus laesionem contineri, quod et praesenti iuriū possessione priuati sumus, et de futura anxiī reddamur, ac tranquillitate illa, quam iure perfecto futuram non minus, quam praesentem postulare possumus, deturbemur. Illa duplē modo reparari potest, ut aut res ipsa, qua alter ob iniuriam acceptam caruit, aut, si non amplius adsit, alia eiusdem pretii restituatur. Huius vero reparatio plus habet difficultatis. Animi enim tranquillitas mali futuri metu turbata non restitui potest, nisi spes excitetur probabilior, fore, ut ille, qui voluntatem nocendi prodidit, illam relinquat, ita, ut nihil mali amplius metuendum sit. Cuius quidem rei efficiendae varia ratio est. Ac prima quidem tranquillitatis recuperandae ratio cernitur in eo, ut naturales laudentis vires, quibus in iniuria inferenda utitur, reprimamus, eique impedimenta obiciamus, quibus a perficiendo laendendi

D 2

confitio



consilio necessario arceatur. Sed hoc delictorum remedium saepissime usu deslituitur. Raro enim is, quem alter minis insequitur, cognoscere potest, quibus viribus, quaque ratione perficere, quod hic minatur, velit, multoque minus ipso sciente exercere solet, ut iis resistere facile possit. Quare alia eaque securior tranquillitatis restituendae eligenda est via, si vis adhibita fuerit, qua, qui iniuriam minitatus fuerit, ab ipsa laedendi voluntate reuocetur, ita, ut qui laesus fuerit, sperare possit, fore, ut in posterum a simili abstineat iniuria.


Quomodo vero voluntas nostra vi quadam regi possit, non opus est, ut pluribus repetamus, cum in paragrapto precedenti de eo copiose dictum sit. Ea nimurum vis, quae ad alicuius voluntatem a malefactis reuocandam, retinendamque valet, supra poenam nomine insignita est. Itaque poenis supra descriptis efficitur, ut is, cuius tranquillitas metu futuri mali turbata, ipsaque libertas agendi violata fuerat, metum abficiat, animum tranquillum recipiat, atque adeo bonum sibi eruptum recuperet.

Iam eo deuentum est, ut ex iis, quae praemisimus, ipsum ius puniendi naturale colligere, eiusque iustitiam facillime ostendere possemus. Speciat scilicet hoc ad lacionem consummatam, iuris nempe, quod nobis in tranquillitatem a futurae iniuria metu competit, iisdemque uitiorum principiis, quibus ius, postulandi, et damnum iniuria illatum a taedente reparetur, quod philosophorum vnamini censenu iam dum est approbatum. Quod si verum est, ius puniendi singulis hominibus extra ciritatem degentibus competens societati ciuili tanquam perfido-

personae morali, huiusque summae potestati in se spectatae quoque concedi debet, neque opus est, ut in pacto denunt subiectionis constitutum singatur. Ex quo, quod maximi ad rem nostram est, meo menti, sumul sicut, ius puniendo, quatenus in civitate exercetur, si deinde tantummodo circumscriptendum esse limitibus, in quibus ius poenarum, quo singuli fruuntur, definitum videremus. Qui vero quales sint, et quodusque extendi possint, priusquam ad rem ipsam perveniamus, paucis exponere studeamus.

*De norma definiendae poenae.*  
Ius compensationis damni accepti, quod ius puniendo simul complectebatur, cum ad iura referatur perfecta, quae, si turbantur, in laesius cogens producunt; ius poenae infingendae in iuribus cogentibus quoque numerandum, in eoque definiendo eadem, quam in illis se quinunt, norma videntur est. Quare de eorum limitibus minime alienum videtur, nonnulla praemonere.

Lex moralis dum prohibet, ne quis pro arbitrio suo me cogat laediatque, hoc ipso simul ius nulli concedit, me contra talē vim iniustam vi defendendi, ita, ut, simula alterius actione quadam laetus fuerim, exercere illud exemplo valeam. Quo facto non laedo ullum, qui me adgreditur, sed iura mea cogentia tantum persequor, quibus exercendis nemo potest violari. Sed eiusmodi vis eat, nos tantum legitima habenda est, quatenus ad tuenda iura mea inuriāque propulsandam necessaria habeatur. *Norma igitur violentiae defensio-*



defensionis cernitur in magnitudine violentiae iniustae relata ad conservacionem et exercitium iuris nostri, sive in comparanda violentiae magnitudine cum conseruandis et exercendis iuribus nostris.<sup>o)</sup> Neque igitur iuris, quod defendimus, praestantiae, aut comodi, quod iniuste laedenti hoc ipso, dum nos defendimus, auferunt, magnitudinis vlla habenda est ratio. Quatenus enim vis ad alicuius iniuriam repellendam necessaria est, hic minime laeditur, licet maxima adhibeatur, damage ei inde enascantur grauissima. Violentiae porro defensionis necessitas persuasione laesi prorsus regitur, qui si arbitratur, certa quadam vi ad iura sua tuenda opus esse, eam legitime in usum vocat, neque obstat error, in quo versari potest. Huc denique accedit, quod illa defensionis violentiae necessitas vel obiectiva vel subiectiva est, quatenus aut in quoquis homine apparet, aut pro temporis, loci, viriumque animi et corporis ratione eius, qui laesus sepe defendit, tantum occurrit. Facile enim accidere potest, ut pro diuersitate rerum illarum alius ad alicuius iniurias propulsandas maiori vi indigeat, et alius longe minori idem efficiat. Quilibet igitur intelligit, alteri quandam securitatis suae defendendae viam ingredi licere, quam alter in eadem causa inire prohibeatur. Itaque nihil impedit, quominus philosophorum quorundam sententiae adstipulemur, statuentium, ius defensionis in infinitum extendi posse, dummodo hoc ex norma constituta aequaliteretur, atque ita explicetur, ut illud tamdiu et eatenus persequatur, donec et quatenus securitas contra aggressorem laeso restituatur videatur. Quae cum ita sint, necessario fluit, nullum hominis aliud

iniuste

<sup>o)</sup> Vid. REINHOLD, *Briefe über die Kantische Philosophie*, T. 2. Br. 6.

iniuste inuidentis bonum sanctius esse, quam quod a turbato securitatis et defensionis causa perdi aut eripi nequeat, bona nimurum, libertatem, corporis integritatem ipsamque vitam.

Quibus ita descriptis iuris cogentis limitibus, redeamus ad ius compensationis, cuius causa haec exposuimus, eaque ad hoc accommodemus. Hoc ab iura cogentia retulimus. Damnum vero acceptum cum resarcitur restituendo eo bono, quod per iniuriam sit ereptum, laesum tandem ius cogens exercere, vimque adhibere atque extendere potest, donec laedens hoc praefliterit. Modus igitur, quem in iure compensationis definiendo sequi debemus, in magnitudine violentiae versatur, qua laedens laeso in reparando danno resistit ad restitutionem boni erepti referenda. Res vero nostra nondum peracta est; nam in singulas compensationis formas accuratius adhuc inquiramus necesse est. Cum vero supra distinxerimus inter duplarem compensationis formam, quod vel de praesenti iniuria, vel de futurae metu res ageretur, utroque vero modo ius perfectum laederetur, quippe quod non aduersus praesentes folum iniurias tuti, verum etiam de futuris securi ac sine metu esse deberemus; hoc quidem loco de posteriori tantum sermo erit, quia ad poenas spectare videatur. In qua cum bonum laeso ereptum contineatur animi tranquillitate metu futurae iniuriae turbata, compensatio, si a laeso urgetur, non aliter praeflari potest, nisi animo tranquillo reddendo. Quod sit, dum ei, quem alias minis insequuntur est, persuadetur, se a perficiendis iis securum esse posse, quod nisi ipsa minitantis diserta aut probabili tantum declaratione factum fuerit, vis adhibeat necesse est. Norma igitur, qua in modo huius compensationis

formae

formā defensione titendum est, magnitudine violentiae continetur, qua minorans impedit, quo minus aliquis de futura lassione tutus esse videatur, referenda ad hanc ipsius defensivitatem sua persuasōnem. Animi porro tranquilli reddendi duplē vidimus suppetere rationem, cum laetus militantis aut naturalē virēs ipsi ad minas adimplendas necessariās confringere atque superare, aut ipsam adeo eiusdem nefariā voluntatem ab iniuriis animo conceptis declinare, mentemque eius renovare possit. Prius dicatus p̄ventionem physicam, quae pariter probari nequeat, nisi iure compensationis simul incle posat. Posteriorū supra hanc foliū pœnae nomine insigniuimus. Iam primum recte queritur, quando et secundum quam regulam haec, an illā compensationis restituendae eligenda sit via. Etenim recte animaduertitur, haec iniuriarum inferendarum remedia inter se valde differre, nequid vnum altero semper mitti, aut durius reperiri. Vtriusque enim gravitas diuersitate rerum vchementer mutatur, et physicae potro p̄ventioni rarius relinqui locum, quam pœnae, in antecedentibus lculenter demonstratum est. Silencio denique non praetertittendum est, p̄ventionem physicam nos reddere securiores, quippe quae indubitatam praesulare possit securitatem, cum poena exhibita in probabilitate tantum acquisicendum sit, comminantem voluntatem nocendi mutaturum esse. Facillimum tamen est ad dijudicandum, quando ad hoc vel illud medium refugere liceat. Etenim cum compensationis exigendae ius ad iura pertineat cogentia, nec non p̄ventionem physicam et poenam tamquam partes inse contineat, ead separatis spectatae eadem quoque norma aestimantur, necesse est. Hic igitur habes regulam, quam in omnibus causis tuto sequaris, quae tam veris et indubitatis superstructa est


est principiis, ut fallere plane nequeat. Sequitur enim exinde, eum, qui tranquillitate minis alterius turbata laesus sit, modo praeventione physica, modo poena uti posse ac debere, prout hanc vel illam ad recuperandam animi tranquillitatem necessariam putauerit.

At enim vero cum vnam rectam tantum auertendae laesioris imminentis haud sufficiat elegisse viam; ex eadem iuris cogentis mensura remedii electi gradus iterum sunt dimetendi. Vtriusque igitur norma separatis adhuc constituenda est. Ac praeventionis quidem physicae limites non multum difficultatis in se habent. Ibi vis proxime opponitur violentiae iniustiae, eaque tamdiu continuatur, atque augetur, donec comminantis viribus oppressis libertatem ita resfrinxerimus, vt, si velit, non possit amplius perficere minas iactatas. *Eius igitur norma est magnitudo virium a minitante in voluntate sua perficienda adhibendarum, cum studio conaminis illius irriti reddendi comparanda.* Qua obseruata regula incipiatur quidem a mitissima tollendi metus ratione, minimaque primum vis ad auertendum imminentis ex aliquo minis periculum adhibeatur necesse erit, sed pro diuersitate magnitudinis periculi ad grauiora remedia procedere licebit. Atque si alia ratione securitas animique tranquillitas reparari nequeat, nullum est dubium, quin minitatem tota priuare libertate, quid? quod eum ad acheronta mittere, ius fasque sit; id quod omnino ex norma exercendi iuris cogentis vniuersali fluit.

Iam accedamus ad alteram, si, turbata tranquillitate metu futuri mali laesum ius perfectum fuerit, compensationis praeflrandae formam poenarumque ponamus limites. En rem maximi profecto mo-

E


menti,



menti, in qua tamen diversissimas virorum doctorum fententias deprehendimus, quarum plurimae quidem falsae ac poenarum ratione minus recta nisi videntur, quare singulas non opus est enumerare. Nos tritiori via insistendi periculum faciamus, poenarumque normam ad iuris cogentis desinendi modum referre studeamus. Ex prioribus enim apparet, poenas vim continere ingratam, qua eum adficiamus qui voluntatem, nos laedendi, significauerit, ut eam abiiciat, nobis de securitate futura persuadeat, ita, ut tranquillitas animi restituatur, et dampnum illatum resarciat. Iuris igitur illius perfecti, quo tranquilli ac securi de rebus nostris simus necesse est, turbati compensatio uice continetur, persuasione laeti, minitante laedendi consilium esse mutaturum. Quae vero tum demum in laeso oriri potest, cum intellexerit, rationes et causas, quae aliquem ad eiusmodi consilium capiendum et sanguinem induxerant, debilitas esse atque infractas. Itaque in modo poenarum desinendo ad has potissimum respiciendum est, videndumque, utrum et quatenus refelli et tolli possint. Quo plures enim et maiores in comminante inueniuntur, et quo magis ad crimen committendum propensum illum reddunt, et procluem, eo difficilis prauam hic mutabit voluntatem, eoque vehementioribus iniuria futurae opus est remedii. Ut vero eiusmodi propensionis causas cognoscamus, animem, quo quis egit, tentare debemus, utrum spem faciat, fore, ut a misiarum iactatarum perfectione facile renuncetur, an iniiciat metum, ne in malo consilio perseveret, arque difficile ab eo recedat. Quae delinquentis conditio interna cum, quantum se exferre solet, in doctrina de imputatione delictorum, *delicti* siue *rei* dicatur *inmoraltas*, commode et vere dicere mihi videor,

in


in magnitudine huius immoralitatis poenae determinandae versari normam.  
 Illa enim eo magis augetur, quo peorem quis in delinquendo pro-  
 dit animum. Et quo peius quis animatus est, eo probabilius fit, eum  
 ad meliorem frugem haud redditum, nocendique voluntatem vere  
 persecuturum. Quod si accurate consideraueris, intelligetur, dici  
 alias verbis posse, poenae formandae normam pariter confitui in magi-  
 tudine propensionis ad implendant prauam voluntatem ruentis, referenda  
 ad efficiendam illius frangendam atque deterrendam probabilitatem. Quam  
 ob rem in poenis irrogandis vnicet respiciendum est ad difficultatem  
 aliquem commouendi, ut a persequendo delinquendi consilio fese ab-  
 flueat. Vtrum vero grauis, an leuis metuenda sit laesio, haecque  
 iuribus grauioribus an leuioribus immineat, plane nihil ad poenae  
 vel grauitatem vel leuitatem desinendam facit. Sic nullus dubito,  
 quin poena mitissima iuri defendendo maximi momenti ad perfectio-  
 nem nostram sufficiet, si spes adfusgeat probabilis, fore, ut minitas  
 ab hoc delicto atrocissimo tali modo auocetur. Contra iura vilissimi  
 pretii poenis tueri licet acerrimis, si in eo talis animus reperiatur,  
 qui leuioribus poenis deterri nequeat. Hoc sequitur ex norma iuri-  
 sis cogentis vniuersali. Quamquam enim iura cogentia leuissima  
 sunt, iniusta tamen aliorum vi neutiquam auferri possunt. Permis-  
 sum igitur est, vt ea persequamur atque exerceamus, eorum, qui re-  
 sistere conantur, ratione non habita, quod damnum quidem pati,  
 neutiquam vero laedi possunt, quippe qui libidini suae, alios iniu-  
 riis adsciendi, ipsi iura et bona sua immolare, eoque ipso perdere  
 videantur. Iam vero poenis infligendis nihil, nisi ius compensatio-  
 nis cogens persequimur. Quod si verum est, verum quoque esse  
 debet hoc, ius puniendi nullis aliis circumscribi cancellis, nisi qui  
 in iure cogente in vniuersum sint positi, illud nimirum eo usque



amplificate licere, donec de prodita nos violandi voluntate mutanda nobis persuadere possimus. Cum vero poenae pro magnitudine violentiae, quae iis inest, et pro praeflantia bonorum, quibus puniendum priuant, inter se differant, atque haec tantum ratione nunc grauiores, nunc leuiiores inueniantur; earum vis damno, quod laedens patitur, minime cohibetur. Iesus enim nihil inausum reliquit, quo tranquillitatem animi sibi reconciliet, atque poena quaeviis, licet praeflantissima reo auferat bona, legitima est, dummodo necessarium periculi imminentis sit remedium. Attamen per se intelligitur, poenarum vim ea excludere remedia, quibus puniendus libertate aut vita prorsus desituatur. Etenim vehementer inter se pugnaret, si commouere velles aliquem, ut voluntatem emendaret, et carcere perpetuo includeres, aut capite truncares, quo loco omnis finis poenae infligendae periret necesse esset. His igitur remediis non nisi locus relinquitur, cum omnis spes emendationis prorsus evanuit, nihilque superest, nisi ut male animatus vi impediatur, quominus nocere possit. Priuatio vero totius libertatis atque vitae non propterea in poenis irrogandis cessat, quod eo usque eas extendere non fas sit, sed quia in ea poenarum finis respici nequeat. Quibus haec poenarum flatuendarum mensura haud probatur, hi caueant, ne in errores incident grauissimos, opinionibusque fauere videantur, quas ipsi vituperandas, planeque respuendas existimant. Evidem bene seio, fore haud paucos, qui aliter sentiant, contendantque, poenae malum par esse debere iuri, quod tutum reddere velimus, ita, ut poena non maius ius delinquentis turbet, quam Iesus ea seruare cupiat. Sed, ut plura alia taceam, ex hac regula queretur, grauissimam locum habere poenam, si quis ius maximi momenti violare conatur, licet leuiori poena tutum illud praeflari possit,

possit, quod tamen nemo vñquam, cui liberum est iudicium, sibi  
persuadebit.

Tam vero superest, vt ea, quae in vniuersum de norma poenarum infligendarum monuimus, ad poenas, quatenus in societate ciuili imponi solent, transferamus. Poenae ciuiles secundum eandem quidem normam aëstimanda sunt, accedunt tamen res quaedam, quarum explicationis, quoniam ad rem nostram faciunt, adhuc paullulum immorari iuuabit. In ciuitate enim quaevis laesiorum remedia legibus praescriuntur, atque cum subditis eo consilio communicantur, vt non solum eorum vsu, sed comminatione quoque a praeue factis deterreantur. Neque ita poenae solum ratio, sed physica quoque praeuentio definiri potest. Etenim legislator causas criminales plerumque praevidere et determinare potest, in quibus poenae non sufficiunt, sed alia voluntatis, ceteris non corrigendae, saltem reprimendae tamen adhibenda est medicina, vt externa vi a delictis omnino prohibeantur ciues. Atque hac ratione fieri videimus, vt priuatio totius libertatis ipsiusque vitae, quae poenae nomine proprie venire nequeunt, in legibus certis quibusdam causis criminalibus praeficiantur. Neque quisquam inficias ibit, comminatione physicae praeventionis, ad quam carceres perpetuos et ultima retulimus supplicia, ciues pari modo a crimini bus auocari, ac quod summa simul adferant mala, magis deterreri. Ex quo fit, vt physica quoque praeuentio catenus poenae induat naturam, eiusque nonen accipere possit, quatenus in legibus praeficitur, et voluntati hominum regundae inseruit. Intelligetur nimisruin quorsum haec tendant omnia. Colligere enim exinde possumus, ius puniendo



in ciuitate in infinitum extendi posse, neque tam arctis circumdati limitibus, qui extra eam ponendi erant.

Porro cum poenae in legibus dicuntur prius, quam delicta committantur, fieri non potest, vt ad omnes pari modo quadrant delictorum reos. Acquiescit legislator in eo, si poena praesinita plurimis conueniat causis, in reliquis vero, quibus non satis interdum leges poenales inueniuntur, nouae ac singulares poenae formantur, atque aut mitigantur aut augmentur.

Hoc iudicis criminalis officium est graue et sanctum, quare vt de aliis multis causis nihil dicam, philosophia legum criminalium instructus, scientiaque principiorum, quibus illae fundatae sunt, accuratissima sit imbutus necesse est. In societate denique ciuili, vbi omnia arctissime inter se cohaerent, saepe accidit, vt ex legitima alii cuius delicti poena maius illi detrimentum oriatur, quam quod hac ipsa auertere volunt. Quare alia adhuc poenarum definiendarum norma accedit necesse est. Nam cum poenarum infligendarum ratio semper quasdam ciuitati adferat molestias, imo atque adeo interdum magna eius incommoda evitari haud possint, ea semper poena ex praecipuis politiae criminalis eligenda est, quae ciuitati minimam saltrem creare solet noxam. Quae est altera poenarum statuendarum norma, quam politican liceat vocare, priori ita subiicienda iuris publici viuiversalis normae, vt non nisi hac probatae poense ad illum exigantur, atque dijudicentur. Hi igitur sunt veri poenarum fines, quos vitro citro que nequit consistere regum.

§. V.

*De causis, in quibus privatio vitae in legibus postrius poenae nomine praefixiri possit.*

Nunc eo tandem peruentum est, ut de poenis capitalibus ciuilibus, earumque iustitia verba faciamus. Ex questionem, qua nihil grauius nihil sanctius in latō iurisprudentiae campo inteniri potest! Non enim de libertatis vsu, non de honoris splendore, non de corporis bene va-  
lentis integritate, nec de alio, quo ornatum a Deo videmus genus humanum, bono quaeritur, sed de vita res agitur, summo bonorum omnium, quod omnia continet, quoque amissō cetera omnia pereunt.  
Quam vtile igitur et necessarium est, ut quotquot humano generi be-  
ne cupiant, in questione illa decidenda inter se maxime consentiant.  
At vero quis est, qui nesciat, philosophos, iureconsultos, omnesque doctos et indoctos, qui vel letiter de eo, quid in terris agatur, co-  
gitent, incertos dubiosque hacere, atque usque ad hunc diem fluctua-  
re sententiis? Nos vero et si sollicito, tamen non plane desperato ani-  
mo ad huius rei pertractionem accedamus, quam bene iam praepa-  
ratain atque tam firmis stabilitam principiis existimamus, ut falli diffi-  
cile videatur. Ex prioribus enim intelligitur, vitae privationem, in  
lege poenali constitutam, notioni ac indoli poenarum minime aduers-  
fari, sed veram earum inducere naturam. Sed aduersarii alias eams  
que gratiorem mouerunt questionem, vtrum et quatenus principi  
iūs competit, tales ferendi leges? Habet autem princeps hanc potesta-  
tem, certissime habet. Nec me mouet multitudo aliter sentientium,  
qui grauiissime in me inuehentes iūs vitae et necis principi negabunt,  
ab aliis tradi posse, quod nemini arbitrio relictum inueniatur, qui-  
que cinitati poenis capitalibus vtenti barbaram crudelitatem, atque in-  
sanam temeritatem legibus obiciunt, quae dum aliorum salutem alte-

rius




rius morte tutam praestare cupiant, trucident eum, quem emendare velint. Nam haec obiectiones me non tangunt, et statim evanescent, si modo recordemur eorum, quae de poenarum notione, origine et norma docuimus. Poenam enim exempli causa haud imponi, cum multis rationibus probasssem supra, facile intelligitur, quamquam lubentissime omnibus sanae mentis hominibus concedam, carnificis eas ne minem emendari, tamen hoc vel cessante fine, ac nullo modo locum in poenis capitalibus tenente, non omni consilio destitui ultima supplicia atque iustitia. Ad id vero, unde principi ius vitae et necis enatur, ex antecedentibus quoque quaeri potest quedam responsio. Nam cum ius puniendi cuilibet laeo extra ciuitatem tribuendum, atque iisdem circumscribendum esset limitibus, quibus ius compensationis et ius cogens in viuersum teneretur; sequebatur, non opus esse, ut in principem pacto subiectionis transferretur, sed rem publicam, cuius princeps personam sustineat, tamquam personam moralem in se spectatam; eo gaudere, ita, ut ad laedentis mortem adeo extendi posset. Quod si etiam ab hoc poenarum fundamento discesseris, a me tamen impetrare non potui, ut probarem eorum sententiam, qui ius et obligationem poenarum ciuilium ex pacto subiectionis deruant, atque ideo potissimum principi facultatem morte puniendi denegandam esse censem. Poena enim cum sit iustus se defendendi modus, et qui libet in iure suo defendendo ius suum tantum persequatur; omnes et laedens ipse obligatione tenentur perfecta, ne illum impediant. Unde ciues obstricti sunt, ut promeritam subeant poenam, neutrum vero propter pactum subiectionis, quod fingunt, et ex quo nimis longe poenis ciuilibus se submittendi repetunt obligationem. Deinde faciamus, ex hoc pacto verum et vincum iuris puniendi promanare fontem, atque adeo ius ultimi supplicii eo niti debere, animum tamen indu-

inducere nequeo, vt credam, ciues illud ineuntes iure in vitam suam cessisse. Etenim qui civili securitate frui cupiens, ea se conditione in ciuitatem recipi patitur, vt si quando ipse eam turbaverit, morti se tradat, is iuri in vitam minime renuntiat, sed animus eius maxime hoc spectat, vt eam tueatur. Neque obici potest, illum capitis poenae periculo se exposuisse, cum profecto non criminum cupidus, sed animo potius crimina pariter ac eorum poenas evitandi hanc obligationem in se suscepisse videatur, et si postea delictum commisit capitale, non contrahendo pacto, sed delinquendo vita se priuici. Itaque in poenis capitalibus irrogandis non legislator de vita iniustis disponit, sed delicti reus sponte eam profudit, quod in eius arbitrio positum erat, vtrum crimen capitale perpetrare, mortisque periculum incurrire vellet, nec ne. Ante crimen enim commissum nullum vitae periculum in ciuitate reperitur, ubi poena capitalis certis delictis constituta est, sed multo maior securitas, quam in statu naturali alicui contingere potest. Quare non dubito verba ROUSSEAUII mea facere, dicentis: „*Dans ce traité loin de disposer de sa propre vie, on ne songe qu'à la garantir, il n'est pas à présumer, qu'aucun des contractans premédite alors de se faire pendre.*”<sup>a)</sup>

Sed vt in viam reuertar, a qua aduersarii paullulum me deduxere, poenarum capitalium iustitiam, quae mihi aperta et clara esse videtur, ulterius exponam. Retulimus enim poenae vim aequae ac praeventionem violentam inter praecipua eaque legitima minorum impleriarum turbataeque tranquillitatis remedia, eaque iisdem limitibus

cit-

<sup>a)</sup> *De contractu sociali* II. ch. V.




circumscribenda vidimus, quibus reliquae iurium perfectorum tueri  
 dorum rationes desinuntur, extendi nimis in infinitum posse, et  
 ad laudentis adeo internectionem. Sed cum capitalis damnatio a poe-  
 narum natura extra ciuitatem abhorret propterea, quod omni cessan-  
 te sine temere infligerentur, in constituta ciuili societate longe secu-  
 res sece habet. Etenim optime ciuitatis securitati consulitur, dum  
 non solum poenae, sed praeventioni quoque physicae modus praede-  
 clinatur, ita, ut, quod in statu naturali non nisi ipsis his remedii ad-  
 hibendis demum efficiatur, eorum sola comminatione plerumque  
 obtineri possit. Legislator enim in poena pariter, ac praeventione  
 physica praefinienda cundem seruat modum, qui in utroque remedio  
 praescriptus est. Fingit quidem atque assumit causas singulas, per-  
 penditque, utrum in hac vel illa poenae, an praeventioni locus esse  
 possit, et quinam utriusque gradus exigatur. Quo facto, si legisla-  
 tori persuasum est, in causa quadam poenae auxilium non sufficere  
 nullamque aliam securitatis recuperandae rationem superesse, nisi prae-  
 ventionem physicam, hanc praefinit, et lege promulgata cum subdi-  
 tis communicat. Neque ullum est dubium, quin ea securitatis me-  
 dia, quae legitime adhibentur, recte quoque praedestinentur. Fac-  
 igitur, necessarium videri, ut praeventione physica necando maleficio  
 exerceatur, quid impedit, quominus idem praeventionis modus in  
 lege determinetur, atque de eo certiores reddantur ciues?

Iam hic subsistamus; hic est locus, ad quem nostra tendebat  
 demonstratio. Etenim ius, priuationem vitae in legibus ciuilibus  
 minitandi a iure praeventionis physicae repetimus. Quae vicia vide-  
 tur ratio, qua illud stabiliri possit. Nomen vero poenae, quo capi-  
 tis

tis damnatio insignitur, catenus tantum defendimus, quatenus hic praeventionis physicae gradus in lege praefinitur, eiusque comminatione omnes ciues ab eiusmodi delicto, quo commissio in usum venit, deterri possunt. <sup>12</sup> Differt autem a combinatione mortis ipsa necatio, quae poenae nomen nullo modo accipere, aut eo defendi potest, sed est et manet summus praeventionis physicae gradus. Tantum vero absit, ut legislator legem, qua mortis poenam comminatus est, iniuste exequatur, ut hoc rectissime fiat, quia haec legis comminatio ex praeventionis physicae norma iam definita est.

